



1705 76. d. 17.
Dissertatio Juris Publici Universalis

De
EO QVOD JUSTUM EST

DURANTE 38. (17)

JUSTITIO,

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. FRIDERICO WIL-
HELMO,

REGNI BORUSSICI, ELECTORATUS BRANDEN-
BURGICI ET PROVINCIARUM HEREDE,
& reliqua,

IN ILLUSTRIS ACADEMIA FRIDERICIANA,
PRAESIDE

JUSTO HENNINGO Böhmer/

J. U. D. Prof. Iur. extraordin. Facultat.

Iurid. A.


IN AUDITORIO MAJORI
publico eruditorum sistit examini


Ad d. Maji An. MDCCV.

CASPARUS a WOLDE,

Eques Pomeranus.

HALÆ, Typis CHRISTOPH. ANDRÆ ZEITLERI. Acad. Typogr. 20.





CAPUT I.
DE NATURA ET CAUSIS
JUSTITII.

§. I.



Vantumvis in statu naturali, ubi *judiciorum* respectus imperantis plane cessat, *necessitas* & facultas nemini denegata sit, jus su- *utilitas in* um, respectu cujus alter ex natura- *statu civili.*

li obligatione tenetur, propria auctoritate vindicandi, & si præstationem ejus, quod debet, recusat, vel bellum aliamve vim inferendi; at tamen homines in societates civiles coeuntes ob communem utilitatem & necessitatem huic naturali libertati, per vim omnia agendi, merito renunciare & ex fine civitatis, qui est salus & tranquillitas publica, necessario statuere debuerunt, ut penes unum vel plures esset summa ferendi Leges easque exequendi potestas. Atque hinc ex voluntate dirigentis publicam rem, ut & intentione eorum, qui societates civiles præ statu naturali elegerunt, publica constituta sunt judicia, ut quisque jus suum per remedia pacifica in iis commodius persequi, vigorque legum facilius subsistere & pax reipublicæ interna inter cives hoc modo conservari possit; quod etiam

iam indicat *l. 14. C. de Judic.* ubi ita: *Idcirco judiciorum vigor jurisq. publici tutela videtur esse in medio constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere valeat ultionem. Nam non concedendum singulis, quod per magistratum fieri debet, ne detur occasio majoris tumultus. L. 176. d. R. 7.* Quin ipse Deus hoc comprobavit in politia Judaica, quæ sane omnium perfectissima, *Deut. XVI. 18.* inquires: *Judices es moderatores constituo tibi in singulis portis tuis, quas Jehova Deus tuus dat tibi per tribus tuas, qui judicent populum judicio justo.* Et hinc non hominis judicium dicitur, sed *Dei. Deut. I. 17.* & ipsi judices quoque *Dii* dicuntur *Exodi XXII. 18. Psalm. XXCI. 1.*

Miserrimo status, si judicia frigeant.

§. 2. Quo insigniores autem ex judiciorum constitutione redundant in Respubl utilitates, eo majora Respublica patitur detrimenta, si is, cui summa potestas & cura commissa, eam negligat & judicia in facinorosos & refractarios non exerceat, unde frequentes inter cives contentiones, turbæ, factiones, seditiones, imo latrocinia existunt, quæ vel singula miserrime publicam rem turbare & plane evertere possunt, quod luculenter fatis perniciose statui interregna quædam demonstrant, ubi quisque pro lubitu agit, & pro facultatibus virium & potentia jus sibi met ipsi tribuit, uti factum in imperio nostro Romano Germanico, mortuo Imperatore Friderico II, quorum temporum calamitatem optime describit Lehmannus *in Chron. Spir. Libr. V. Cap. 95.* Tunc enim arma ubiq; LL. fere nusquam dominabantur, quisque occupabat, quantum potuit.

Progressus ad thema propositum.

§. 3. Quantopere igitur reipublicæ noceat, si judicia ita frigeant, quilibet facile videt. Quidnam autem iudicia cessare faciat & quinam effectus juris exinde profluant, non inutilem fore laborem, & operam duxi,

duxi, si ad hoc paulo penitius inquirendum, & ad exercendas ingenii vires me accingerem, quod cum facere aggredior, thema de JUSTITIO elaborandum & succincta differtatione pertractandum pro exiguis animi viribus sumsi, cuius vocis genuinam significationem paucis referre ante omnia necessarium erit. Est igitur JUSTITIIUM, *quando ius quasi stat.* Sospiter *Libr. 1. Instit. quid?* *Gramm.* vel est *iuris quasi intersitio quaedam & cessatio, ut nihil bis diebus iure agi possit, secundum Gellium in noctibus attic. Libr. 20. cap. 1.* Plenius forte ita describi posset, quod iustitium sit *ordinarium iudiciorum ob turbatam tranquillitatem publicam cessatio ad tempus aliquod.*

§. 4. Quod si vero paulo generalius iustitii vocem *Quid generaliter significet.* accipiamus, tunc quoque illud adesse potest dici, quando certa persona singulari favore & privilegio ita gaudeat, ut intra aliquod tempus actione in foro efficaci conveniri non possit, quemadmodum Gellius *cit. loc.* hac voce utitur, de debitoribus confessis & iudicatis, quibus olim triginta dies dabantur conquirendæ pecuniæ causa, quos dies Decemviri *iustos* appellabant, veluti quoddam iustitium, cum his diebus nihil cum his agi iure posset. Hoc sensu hodie huc referri posset, si quis præter culpam fortunis lapsus literas moratorias ab Imperatore vel Principe Imperii impetrasset: Sed hoc in sensu hæc acceptio a scopo nostro aliena est.

§. 5. Propius ad nostrum scopum spectat, si in *Justitium* strictiori sensu pro *totali iudiciorum intersitio iustitium*, *quod duplex.* capiamus, ita, ut *in totum iudicia fere sint clausa & copia iudicis plane deficiat, & hoc intellectu potest dividi in iudicium h. e. voluntarium, & sumtum i. e. necessarium.* Illud est, quod publico decreto, auctoritate Magistratus,

indicitur ob iustam causam. *Hoc* vero dicitur, quod absque indictione publica præter voluntatem ex turbato Reipublicæ statu aut aliis malis sponte contingit.

Indicebatur
Iustitium
olim ob luctum publicum.

§. 6. *Indictum*, olim obtinuit apud Romanos in primis tempore *luctus publici*. Quod vel testimonio Taciti *l. 1. Annal.* constat, hæc de morte Germanici referentis: *Hos vulgi sermones audita mors adeo incendit, ut ante edictum magistratum, ante Senatus Consultum, sumto iustitio, desererentur fora, clauderentur domus, passim silentia & gemitus, nihil compositum in ostentationem, & quamquam neque insignibus lugentium abstinere, alius animis morebant.* Fugiebant omnes lætos congressus, ac festivas solennitates, ne aliorum gaudia suo luctu macularent. Symach. *Lib. III. Epist. 21.* Privatim vero quilibet limine ac domo se continebat Tacit. *Lib. IV. Annal.* Pertinent huc versus apud Lucanum *Lib. II. vers. 16. seqq.*

*Ergo ubi concipiunt, quantis sit cladibus urbi
Constatura fides superum: ferale per urbem,
Iustitium: latuit plebeio tectus amictu
Omnis honos: nullos comitata est purpura fasces.*

& *lib. V. vers. 1.*

*Cæsar habet vacuasq; domos, legesq; silentes,
Clausaq; iustitio tristia fora.*

Idem testatur Peto Albinovanus in elegia de morte Drusi:

*jura silent, mutæq; iacent sine vindice leges
Aspicitur toto purpura nulla foro. &c.*

Quin etiam Egyptii tempore luctus publici iustitium indicere soliti sunt, teste Diodoro Siculo *Lib. 1. Biblioth. Histor. P. 2. C. 3.* *Cum enim, ait regum Egyptiorum aliquis e vita decesisset, illum omnes communi luctu desissent, vestes discindunt, templa clauduntur, iustitium indicitur, festivitates*

ET CAUSIS JUSTITII.

7

itates non celebrantur &c. confer. Herodot. in *Enterp. L. 2. c. 86. seqq.* Imo hic mos indicendi iustitii tam frequens apud Romanos fuit, vt sæpe ab autoribus Romanis vox hæc ad *luctum publicum* designandum adhibita reperitur vid. Clariss. Dn. Cellarius in *Fabri Lexic. in voce ius.* Sed etiam aliquando ob *publicam letitiam* iustitium obtinuit, de quo testatur Horat., *Libr. 4. od. 2.* asserens super impetrato augusti reditu *forum litibus orbum* fuisse, alia loca vt brevitatis studio nunc præteream.

Iustitium ob publicam letitiam.

§. 7 In eo inprimis insignem deprehendi difficultatem, quomodo hoc iustitium, quod *voluntarium* dixi, a feriis, vbi iidem ius non redditur, recte possit distinguui, & annon pro Synonimis haberi debeant. Certe in latissimo sensu hæc duo inter se non distinguui facile concedo, sed cum deprehendam penes Historicos Romanos aliquando hæc distinguui, quod inprimis apparet ex Livio *L. 3. c. 5.* vbi refert, Romæ iustitium, quod ante obtinuerat, fuisse remissum, sed statim addit, in triduum ferias fuisse indictas, operæ pretium esse arbitratus sum, penitius totam rei naturam evolvere. Scilicet Legibus XII. Tab. cautum erat: *Feriis iurgia amovendo.* Potissimum autem per *ferias* ibi intelligitur illud tempus, quod *sacris peragendis destinatum erat*, interprete Cicerone *L. 2. de LL.*, & hæctenus cum iustitio in eo conveniunt, quod præbeant quietem litium & iurgiorum, vt Cic. *cit. l.* loquitur, quo etiam pertinet, quod Cic. *L. 1. de divinac. p. m. 372.* *ferias potissimum ad res divinas peragendas* referat, & quod publice imperatum fuerit, vt *litibus & iurgiis se absternerent*, quod pluribus declarat Brisson. *L. 1. de form. p. n8.* Sic etiam Livius *cit. loc.* videtur a iustitio distinguere *Ferias*, inquit: *His averrendis terroribus in triduum feria indicta per quas omnia delubra,*

Quomodo hoc iustitium a feriis differat.

Feria quid?

8
CAP. I. DE NATURA

*delubra, pacem DEVM exposcentium virorum mulierumq;
turba implebantur*, conf. Id. L. 3^o. c. 4^o. & L. 6. c. 28. Vt ita
primarius finis feriarum indictarum fuerit cultus divi-
nus, & ad hunc celebrandum lites in foro silebant.

*Feriae di-
vinae quo-
modo a di-
vinis distin-
guebantur.* § 8. Equidem messis vindemiarumque tempus
itidem ad ferias refertur L. 1. 2. 3. ff. de fer. Sed hæ feriae
a prioribus, quæ proprie tales erant, longe erant distin-
ctæ. In prioribus quippe omnia cessabant iurgia, iudi-
cis copia haberi non poterat, & vt ita loquar, iudicia
erant quodammodo clausa, idq; ex præcepto LL. XII. Tabb.
& publica indictione, adeo, vt ne quidem volentibus
partibus lites peragi poterant L. 5. ff. de feriis. Sed in feri-
is messis vindemiarumque nunquam deficit copia iu-
dicis, neque fora litibus vacua, aut orba fuisse videntur,
rum quod de causis publicis, moram non ferentibus a-
liisque favorabilibus adhuc ius diceretur L. 1. 2. 3. de feriis.
rum quod occupati circa rem rusticam sponte se liti
poterant immittere, & privilegio suo renunciare, quod
fieri non potuisset, si iudicis defuisset copia L. 6. ff. cod.
& sic nec iustitium vniversale videtur fuisse, sed saltem
respectu eorum, qui occupati erant messis & vindemia-
rum tempore, si scilicet iure suo vti vellent.

*Iustitium
distinctum
a feriis di-
vinis & hu-
manis.* § 9. Verum si præterea lites silere publica aucto-
ritate iuebantur, & quidem in vniversum, ita vt ne
quidem iudicis copia haberi posset, non tantum propter
sacra, sed & aliam calamitatem vel necessitatem publi-
cam, magis generali iustitii appellatione vsi fuisse vi-
dentur Romani, vt itaque inter se differant vt *genus* &
species. Iustitium enim, vt ante dictum, in genere de-
notat omnem cessationem a litibus, & sic etiam ferias,
tanquam speciem, complectitur, atque hoc sensu ad-
mitto rubricam L. 5. ff. de fer. Quemadmodum autem
non

ET CAUSIS JUSTITII.

non infrequens in iure esse solet, ut vox generis certæ speciei tribuatur, ut ex materia adoptionis, novationis, aliisque notum est; ita quoque postea *iustitium* in specie applicari cœpit eiusmodi casibus, quando ob publicam calamitatem, tumultum vel aliam necessitatem vacabant fora litibus, ut ius dici non posset, quod non tantum ex exemplis adductis perspicuum redditum, quæ omnia luctum publicum concernunt, sed etiam nunc ex aliis est declarandum, vbi inprimis in Republica Romana iustitium indictum fuit ob publicam quandam calamitatem. Sic cum exercitus Romanus ab Æquis esset obsessus, in-

*Exempla
indicti iustitii ob calamitatem publicam.*

gens perturbatio incesserat Romanos teste Livio L.3.C.4. *quod necesse erat, in tanto tumultu, iustitium per aliquot dies servatum.* Eodem modo Id. L.10. c. 4. ob cladem acceptam iustitium indictum esse refert his verbis: *Nunciata ea clades Romam maiorem, quam res erat, terrorem excitavit. Nam ut exercitu delecto, ita iustitium indictum est, &c.* Si bellum apparabatur, atque adeo omnium mentes in id intentæ erant, iustitium indici solebat: Sic enim Liv. L. 4. C. 26. *Simul edicitur iustitium, neque aliud tota urbe agi quam bellum apparari.* Et L. 6. C. 7. *ibi. Iustitio indicto delectuque habito Furius ac Valerius ad Satricum profecti &c.* Vbi Genutius cum exercitu esset occisus iustitium Romæ indictum esse, ait Id. L. 7. C. 6. *in fin.* Cum Fidenates deficerent a Romanis, *Rome, inquit Liv. l. 4. C. 31. in fin. terror ingens erat, &c. iustitium in foro, tabernæq. clausæ, suntq. omnia castris quam urbi similiora.* Sic & Cicero variis in locis moris huius ob publicam calamitatem iustitium indicendi mentionem facit. In Orat. de Harusp. Resp. p. m. 616. ostendit sæpe iustitium publicum, in abusum tractum, ad occulta consilia referendum, quibus lædi posset Respublica.

B

Quæ

Quæ sunt occultiora (consilia), inquit, quam eius, qui ausus in concione est dicere, iustitium edici oportere, iurisdictionem intermitteri, claudi ararium, iudicia tolli. Sic etiam belli & legionum conferendarum causa iustitium per præconem indictum fuisse refert Orat. pro Cn. Plancio p. m. 627. Idem in Philipp. V. p. m. 876. testatur inquit: tumultum decerni, iustitium indici, saga sumi, dico oportere: erat autem ibi Ciceroni sermo de periculossimo Reip. statu, in quem respublica ob potentiam Antonii iacta erat. In Philipp. 6. idem vrget his verbis: tumultum decerni, iustitium edici, saga sumi, dixi placere.

Quando imprimis indictum iustitium.

S. 10. Sic itaque ex hætenus dictis apparet, iustitium tunc inprimis publice fuisse decretum, quando necessitas publica haud permetteret, vt fora personarent litibus. Quamvis quod facile conici potest, potentiores sæpe sub hoc prætextu dominatum suum stabilire ausi fuerint, vti ex loco, ex Cicer. de Harusp. Resp. adducto, apparet. Videtur etiam huc respicere in Epist. 17. ad Att. Libr. 4., vbi conqueritur, quod dum nimis favere iustitio cæperint, simul multum omnium rerum licentia indultum fuerit. Et hoc iustitium dicebatur indictum vel edictum, quia publica auctoritate indicebatur a magistratu. Indicebatur autem auctoritate Patrum, vt ait Livius L. 3. Vocato deinde Senatu, cum ex auctoritate patrum iustitio indicto, profectus ad tutandos fines esset, & L. 7. C. 9. refert, Dictatorem tumultus Gallici causa iustitium edixisse, sicuti & Dictatores aliquando feriarum constituerendarum causa dicebantur, vel nominabantur. Id. L. 7 C. 28. Alibi ad totum Senatum hoc refertur, vt testatur Idem L. 10. C. 31., his verbis: His nunciis senatus conterritus, iustitium indici, delectum omnis generis hominum haberi, iustit.

A quo indictum fuerit iustitium.

S. II. Ab

§. 11. Ab hac iustitii specie differt *iustitium sumtum*, *Justitium*, quando tanta est calamitas publica, ut iustitium absque *sumtum* vlla publica indictione sponte sua inde sequatur, quod *quid?* vel deficiat iudex, vel ob tristitiam communem sponte fora deserantur. Contigit tale iustitium, vbi exercitus Romanus apud Furculas Caudinas infami & ignominiosa clade erat affectus, quæ vbi esset Romam delata per nuncios, *Taberna*, inquit Livius L. 9. c. 7., *circa forum clause, iustitium in foro sua sponte ceptum, priusquam indictum*, &c. Idem & Tacitus Lib. 2. *Annal.* confirmat, asserens Germanici mortem adeo omnium animos perculisse, & incendisse, *ut ante edictum magistratum, ante SCtum, sumto iustitio, fora desererentur.* Videtur vero hoc a priori, *indicto* scil., in eo esse distinctum, quod prius ex libera voluntate vel saltem more publico magis dependeat, neque ita *absolute* necessarium semper fuerit, vti posterius, quod magis *ipso facto* oritur, & præter voluntatem, & sæpe tanta coniunctum esse potest cum calamitate publica, ut omnia ad *ἀναρχίαν* ruerent &, rupto fere vinculo civili, interitum minari viderentur. Sicuti enim in solatium & tranquillitatem generis humani DEUS ordinem civilem & iudicia adornavit, & secunda esse voluit; ita iusto eiusdem iudicio sæpe eiusmodi publicæ ingruunt calamitates, quibus, exuta tranquillitate, summa imis miscentur, & ob peccata varia & scelera nefanda homines bono illo privantur, quo amplius indigni sunt. Est itaque tale iustitium inter extrema mala Reipublicæ ponendum.

§. 12. Qua ratione autem hæc iustitii species a *Differentia* feriis tam divinis, quam humanis differat, non vberioribus indiget declarationibus. Quamvis enim *Iustitii sumtum a feriis.* dictum cum feriis adhuc magis conveniat, tamen maius

& evidentius discrimen adhuc deprehenditur inter *sum-
tum iustitium* & ferias. Illud enim indigitat, clausa es-
se iudicia, & omnem iudicis copiam cessare, adeo vt
ob publicam calamitatem res ad statum naturalem fere
redacta esse videatur, hinc nihil iudicialiter eo tempo-
re amplius peragi potest. Sed feriæ etiam divinæ iudi-
ciorum vigorem quidem sistunt, & paulatim quiescere
faciunt, sed non deficit iudex, qui causis necessariis pro-
spicere, & ea, quæ moram non ferunt, decidere possit,
non obstantibus feriis.

*Nova divi-
sio in uni-
versale &
particulare*

§ 13. Hoc quoque addendum existimo, iustitium
aliud esse *universale*, aliud *particulare*. Illud dicitur,
vbi plane omnis, aliquo in loco deficit copia iudicis, ita
vt nihil amplius iudicialiter peragi possit. Hoc vero
est, quando certum tantum iudicium sistitur, & clauditur,
reliquis interim iudiciis in suo fervore durantibus.
Atque huc imprimis referre meretur *infelix* illud, & *triste*
(vt in actis publicis sæpissime vocatur) præfens *iustitium
Camerale*, eo magis dolendum, quod non vnus
alicujus loci, sed totius imperii causæ quodammodo ita
suspendæ sint & quiescant. Jam quidem ultra annum
stetit, postquam die 7. April. 1704. initium suum luctu-
osum cepit, quod vt mox finem latissimum accipiat, om-
nibus votis exoptamus. Differt verò hoc a priori quod
cum non inducat totalem iudiciorum cessationem, fa-
cilior via & ratio reperiri possit, omnia alia mala, ex
totali evenientia, præcavendi, & interim subditis alia ra-
tione prospiciendi.

*Iustitii in-
dicti causa sumtum,
aliquando dictum
est ipsius iu-*

§. 14. Sicuti vero iustitium est vel *indictum* vel
cuiuslibet propriæ esse videntur causæ. In-
dictum oriri potest, ob iudicii ipsius statum perturba-
tum, iudicum vel assessorum inter se discordiam, vel et-
iam

ET CAUSIS JUSTITII.

13

iam illorum, quorum auctoritate regitur, mutuam inter se renitentiam. Quodsi presentis cameralis iustitii rationes indagamus, fere ad hæc generalia capita referri merentur. Diu ante illud discordiæ mutæ inter assessores, & qui huic summo iudicio præsumt, latuere, donec tandem in apertam erumperent flammam, quæ tum aliis materiis, hic prætereundis, & publicis scriptis fatis expositis, tum etiam litibus diuturnis de receptione quorundam tum a Cæserea, tum a Bavarica aula præsentatorum assessorum fomentum & alimentum ingens accepit, animosque in tantum a se invicem abalienavit, ut tandem die 7. April. 1704. lectorio clauso, & assessoribus inter se convenire recusantibus, triste illud iustitium secutum sit. Res nunc ad comitia præsentia reiecta, a quibus quid sperandum sit, & quem exitum res sit habitura, dies docebit.

*dicii status
perurbatus*

§. 15. Ceterum quæ olim iustitii indicendi rationes erant, hodie cessant, & vel iam Justiniani tempore cessasse videntur, neque enim, quod sciam, in iure nostro vel vestigium eius rei occurrit. Sic olim illud obtinuisse dictum est, tempore luctus publici ob mortem principis vel Imperatoris, aliusque præclarissimi viri, quod eleganter exprimit Juvenalis his verbis:

*Cur hodie
cesset iustitium
ob luctum publicum.*

Pullati proceres, differt vadimonia prætor.

Ratio vero, cur hodie in publico iustitio h. e. in luctu publico, non sit iustitium, non aliunde reperenda, quam ex varietate decori publici, quod pro locorum & seculorum indole variat. Illud enim nemo facile diffitebitur, iustitium tale luctus publici publicum fuisse documentum. Jam vero signa & solemnia non sunt necessaria, sed arbitraria, & quibusvis in locis publicis luctus sua habet documenta specialia, quæ cum habeant

species suos effectus, ita propediem V. D., iuctu publico presente id exigente, de *iuribus iuctus publici* Dn. Præfæciali ager disquisitione.

*Cur hodie
ob bellum
non indica-
tur iustiti-
um.*

§. 16. Sic etiam altera causa iustitii indicti, quæ olim ob bellum suscipiendum obtinuit, nostris foris incognita est. Potissimum enim ad morem belli indicendi & præparandi hoc olim spectasse videtur, mores autem non ubique sunt iidem, quo respexit Cicer. in *Philipp. 6.* inquit: *Tumultum decerni, iustitium edici, saga sumi, dixi placere, quo omnes acrius graviusque incumberent ad ulciscendas Reipublicæ iniurias, si omnia gravissimi belli insignia suscepta a Senatu viderent.* Hæc verba, ni fallor, satis indicant, iustitii indictionem inprimis hunc in finem fuisse introductam, ut cives eo acriores redderentur ad bellum, cum constet, plebem externis signis, quæ sensus feriunt, magis affici. Imo non necessarium absolute tale iustitium fuisse, sed fere ad morem populi R. tantum referendum esse, non negat Livius L. 7. C. 28. inquit: *cum, (quod per magnos tumultus fieri solitum erat) iustitio indicto deletus sine vacationibus habitus esset.* &c. quibus verbis Livius iustitii indicti non aliam fuisse rationem ostendit, quam, quod ita moris fuerit. Atque adeo non immerito ad solemniam populi Romani hanc iustitii indictionem refert Barnab. Brisson. *de form. L. 2. p. 259*, cum constet, Romanos eiusmodi solemnibus in omnibus negotiis deditos fuisse.

*Causæ iusti-
tiii sumi
generales.*

§. 17. Sed iam properandum ad *causas summi iustitii*, quas in genere arcescendas arbitror ex publica totius Reip. calamitate, & quidem tanta, ob quam omnia turbida & emortua sunt, & totum corpus civile, ita laceratum est, ut vix cohæreat, sed omnia ad interitum & ἀναρχίαν ruere sua sponte videantur. Sunt vero
tria

tria capitalia Rerumpublicarum mala, quæ hæc cala- *Tria mala*
 mitates excitare & sic etiam iustitii sumti causa esse pos- *Rerumpubl.*
 sunt, scilicet *bellum, pestis & fames extrema*, quæ mala
 etiam DEUS sapiissimi minatus est populo Israelitico ad
 omnem Idololatriam proclivi, si a vero fonte descisse-
 ret, & inanes Gentilium superstitiones adoraret, ceu ap-
 pareat ex locis sequentibus 1. *Sam. XXIV, 12. seqq. Jerem.*
XXIV, 10. XXIX, 17. XLII, 17. XLIV, 13. Ezech. VI, 12. XIV, 21.
Exod XXVI, 16. Deut. XXVIII, 21. seqq.

§. 18. Prima itaque causa iustitii sumti est *sevitia* *Justitii*
belli, & quidem tanta, ut quilibet salutem fuga quære- *sumti pri-*
 re amet, quam vitam suam ambiguo exponere discrimi- *ma causa*
 mini. Contingere itaque facillime potest, ut in locis *est bellum.*
 patentibus, & quotidianis excursionibus hostium ob-
 noxiis, fora deserantur, iudicia frigeant, ipsique iudices,
 & quibus cura publicæ rei commissa erat, aufugiant, ex quo per se oritur iustitium respectu eorum, qui
 in tali loco malunt subsistere, quam aufugere. Non
 disquiram hic plenius, an & quatenus magistratui in
 tanta calamitate fugere liceat nec ne? cum tanta pos-
 sit esse hostium barbaries & sevitia, tanta defensionis
 inopia, ut illud, quod alias illicitum, fiat licitum, qua-
 lia tristissima tempora experta est Germania nostra in
 bello tricennali, ubi plurimis in locis curiæ clausæ, tem-
 pla deserta, ut omnia fere in totalem dissolutionem
 vinculi civilis ruere viderentur. Eadem ratio quoque *ut & publi-*
 est *publicarum seditionum & turbarum* in republ. & in- *cia seditio*
 primis tunc, ubi hæc contingunt interregni tempore, ut
 obtineat illud, quod de statu Israelitico in sacris legitur
zu der Zeit war kein König in Israel und jeder man
that/ was ihm recht dauchte. Jud. XVII, 6. XVIII, 1. XIX,
1. XXI, 25. Quodsi tempora feralis illius interregni,
 quod

quod post mortem Friderici II. Germania perpeffa est, consideramus, triste exemplum iustitiae vniversalis fere nobis ob oculum ponitur: quod optime delineat Lehman. in *Chron. Spir. L. V. c. 95.* inquit: Von Zustand der damahligen Zeit ist zu wissen/ daß es ergangen/ wie es Gott den Menschen zur Nachricht und Wissenschaft in seinen Wort in unterschiedlichen Orthen lassen vorgeigen/ als in Buch der Richter am 17. und 21. stehet: Zu der Zeit war kein König in Israel/ und ein jeglicher thät/ was ihm recht bedacht. Auf solchen schlag schreiben die Historici von der Zeit des interregni, und in Summa so viel/ daß die Reichs-Ordnung und Geseze alles Ansehn und Gehorsam vorab bey den höhern Ständen/ verlohren/ dieselbe den Mangel eines Haupts gerne gesehen/ ihre Gewalt und Herrschafft durch der Nachbahren Verderben erweitert und vermehret/ alles Recht sey auff der Faust bestanden/ der Gewaltige hat das beste Recht gehabt/ innerliche Unruhe und Krieg der höhern Stände unter sich selbst und wieder die Städte

Origo Austregarum ex iustitio publico. seynd in vollen schwang gegangen etc. Potissimū vero erat eo tempore iustitium publicum respectu statuum imperii, ex quo etiam non improbabiler originem Austregarum deducit Conring de iudic. Reipubl. Germ. lib. 53. vbi ait: Namque omni illo tempore nulla fuerunt iudicia publica, neque potuerunt non interea controversia inter principes oriri. Ad has itaque sopiendas consultum visum fuisse ait, si non per vim, sed magis per arbitros res componeretur.

Altera causa est tempus pestis.

§. 19. Altera causa est tempus pestis dirisime, qua iudem iustitium producere apta est. Vnde Jcti saepe solent tempus belli & pestis aequiparare, quod admittere

mitti potest, si publicam calamitatem, utrobique fere eandem, respiciamus; sed nequiquam iuxta veterum profanam sententiam, secundum quam voluerunt, tempore pestis esse bellum inter DEUM & homines, ita ut quilibet in expeditione constitutus censeatur, qua profana formula vsi sunt Bartolus in *L. naturaliter ff. de U. suc. n. 22.* Gail. *Libr. II. obs. 118. n. 18.* Paulus Christ. *ad LL. Mechlin. tit. 17. art. 1 n. 24.* Nicol. Boer. *Dec. 228. n. 8.* Berlich. *P. 3. concl. 5. n. 2. & Dec. 66.* Verum absurditatem huius æquiparationis quilibet fati deprehendit, ut recte Schilter *Ex. 21. §. 28.* contra hos profanos Doctores exclamaverit: *Odi profanum vulgus & arceo.* Interim calamitatem publicam & omnium rerum confusionem inde oriri, mecum facile quilibet fatebitur, quam optime describit Livius *L. 24. C. 26. & L. 4. C. 31.* Et quid multa? tanta potest esse, præsertim in pagis, aliisve locis parvis omnium rerum perturbatio, ut omnia iudicia per se cessare debeant, adeoq; exinde iustitii causa aliquando oritur.

§. 20. Denique ultimum malum, quod Rebus publ. imminere potest, est *dirissima fames*, quam natura vinci non sinit, ut loquar cum Livio *L. 5. c. 48.*, quæ tanta aliquando Roma fuit, ut multi ex plebe spe amissa potius quam ut cruciarentur trahendo animam capitibus obvolutis se in Tiberim præcipitaverint, Livio teste *L. 4. c. 21. in fin.* Ad hanc itaque abigendam contingere potest, ut magistratus discedant, & pleriq; aufugiant, & sic per se iustitium aliquod inde enascatur. Memorabile exemplum apud Dionem *Lib. 5.* deprehenditur, ubi ita: *Hæc Romanis infesta fuerunt, ac fames præterea ingens, adeo ut gladiatores mancipiaque venalia ultra octoginta M. passus sint ab urbe redacta, multosque*

*Tertia causa est fames
vrgentiſſima.*

CAP. II. DE EO QVOD DURANTE
ex suis ministris, cum alii tum ipse Augustus ablegaverint, iustitium indictum, senatoribus, ut quo vellent, proficiscerentur, permissum fuerit.

CAPUT II.
 DE
 EO QVOD DURANTE IUSTITIO
 JUSTUM EST.

§. I.

*Stans con-
 troversie
 formatur.*

QUamvis secundum tradita capituli præcedentis varia sit ratio iustitii, ita ut aliquando magis ad ferias accedere, quale erat iustitium ob luctum publicum indictum, aliquando vero ad statum naturalem inclinare videatur, nihilominus tamen in hoc capite, ubi quid in hoc statu, quo iustitium vigeret, iustum sit, excutiendum erit, magis posteriori in sensu considerandum erit, quatenus totalem iudiciorum ad tempus inducit cessationem, iudicum manus ligat, vel ut horum plane desit copia, efficit, siue Iustitium sit sumptum, siue indictum. Unde etiam consideratio iustitii illius, quale tristis status cameræ imperialis hocce tempore adhuc refert, non aliena erit a scopo meo, quippe re vera hoc iudicium augustum clausum est, & assessores cameræ magis, ut privati, quam ut iudices ibi degunt. Reliquæ iustitii considerationes hodie, ut dictum, minus frequentantur, & si nostris adhuc in foris essent visitatæ, tamen effectus earum ex iure feriarum facile constare pos-

Primo a-

*gendum de
 Iustitio u-
 niversali.*

§. 2. Ut autem eo distinctius hic progredi que-
 am, revocanda hic est ex capite antecedenti distinctio
 iustitii, qua dividebatur in *universale & particulare*, quia
 satis constat in utroque casu adesse diversum, republicæ
 statum,

JUSTITIO JUSTUM EST.

19

statum, & sic quoque diversa erunt iura. Primo itaq; videamus, *quid iustum sit tempore iustitii universalis*, ubi eiusmodi supponimus casum, quo ob publicam calamitatem reipublicæ in nonnullis locis in totum frigent iudicia, & copia iudicis deficit. Verum quæstio hac, quid interim iuris sit, non satis recte examinari diiudicarique potest, nisi antea præiudicialis quæstio satis excussa fuerit, *qualis status tempore iustitii talis adsit*, an civilis adhuc maneat, an vero degeneret in naturalem. Hoc enim cognito, iuris quæstio haud ambigua erit, quippe quæ status conditionem sequitur. Pro utroque statu prægnantes occurrunt rationes. Si naturalem statum considero, certum est, iudicia ibi per se cessare, & iudicum copiam deesse, & consequenter nec legum civilium ullus vigor ibi deprehenditur, sed magis per vim & bellum turbasque omnia fiunt, & quilibet denique est actionum suarum moderator & arbiter. conf. Ill. Dn. Hertius *Diss. de Differ. iuris in statu naturali & adventitio* S. 1. S. 4. & 14. Hæc si cum statu iustitii comparo, satis claram status naturalis referre videntur imaginem. Jam enim suppositum est, cessare iudicia, & dum iudex deficit, quis erit legum civilium vigor? *quantum enim est ius in civitate, nisi sint, qui iura regere possint, imo constare non potest ius, nisi sit aliquis, per quem quotidie ius possit quotidie in melius produci*, ut dicitur in l. 2. S. 13. ff. de O. l. nec deficient in tali statu turbæ, ob quas primario iustitium oriri solet. Optime huc collimat Cicero in *Orat. pro Sextio* inquiens: *inter banc vitam perpolitam humanitate, & illam immanem, nihil tam interest, quam ius atque vis. Horum utro uti volumus, altero est utendum. Vim volumus extinguere? ius valeat necesse est vel iudicia, quibus omne ius continetur. Iudicia displicent aut nulla sunt? vis*

*Quæstio
anceps, qua-
lis status
tempore iu-
stitii, an na-
turalis an
civilis.*

C 2

domi-

dominetur necesse est. Sed si simul mecum animo reputo, per casum aliquem accidentalem, belli aut pestis subditos non desinire tales esse, eosque vi homagii adhuc adstrictos esse, ut in fide erga suum imperantem, quicunque demum casus inciderit, maneat civilis adhuc durare videtur status, nexu imperii licet valde laxato, quod vel inde quoque apparet, quod remisso iustitio omnia in pristinum restituantur statum, & vigor iudiciorum paulatim remissus reviviscere incipiat.

*Deciso (1.)
quoad a-
narchiam.*

§. 3. In re tam ambigua distinguendam videtur; utrum tantum iudicia inferiora deficient, an vero omnis omnino iurisdictio etiam suprema quasi mortua sit, ob imperantis defectum. Hoc casu respublica parum ab Anarchia abesse videtur, qualem statum quodammodo describit Tacitus *lib. 3. annal. cap. 24.* his verbis: *Exin continua per viginti annos discordia, non mos, non ius, deterrima quaque impune: ac multa honesta exitio fere.* Subiit idem fatum triste Germania nostra tempore interregni, quo tempore, ut loquar, cum *Cronico Hirsch.*, cum non esset rex in terris, qui motus pradonum reprimeret, omnia per tumultum sine lege, sine ordine, pro lubitu fiebant. In Frisia etiam, cum omnia in Imperio Romano-Germanico turbis agitantur, fere per seculum turbidas res fuisse narrat *Ubbo Emmius lib. 13. rerum Frisc. ad ann. 1343. seqq.* Scissa erat gens tota in duas factiones summas, verum ita, ut sine sedibus certis gladii per omnem provinciam micarent, sibi quisque nobilis & pater familias viribus suis fidens clientes amicosque in auxilium arcisceret, auctor & dux pugnae esset, arces contra arces, turres contra turres in eadem vicinia ubique erigerentur & munirentur, plerumque bellum sine legibus belli, nec modo caedes & sanguis in rabie praelio-

prætorum, sed etiam in captos sævitia, carceres inhumani & quicquid furor civilis odiis efferatis indulget, sine fine modoque exercerentur. Cum itaque per talem statum vinculum civile plane ruptum sit, statum naturalem redire certum est, & rempublicam mutari in dissociatam multitudinem. Dn. Hertius *in elemen. prud. civil. p. 1. Sect. 12. in f.* Quo posito non alia iura ibi vigere possunt, quam quæ obtinent in statu naturali, quiescentibus omnibus legibus civilibus, quæ antea obtinebant.

§. 4. Quod si vero imperium non in totum dissolutum sit, sed imperans adhuc habenas reipublicæ teneat, interim ob casum belli vel pestis turbis implicitus sit, ut vel invidus iustitium in nonnullis locis avertere haut possit, nec tamen ratio calamitatis publicæ patiat, ut in defectu iudiciorum subditi possint recurrere ad summum imperantem aliosve, qui nomine eius ius dicunt, manet suo modo adhuc status civilis, cum plena anarchia nondum sit introducta, sed tantum iudicia inferiora in illis locis deficiant; Et huc quodammodo spectat, quod Grotius *de J. B. & P. lib. 1. cap. 3. §. 2. n. 1.* dicit, posse in statu civili aliquando cessare iudicia, vel *momentanea*, vel *continue*, quamvis, quæ ad posteriorem casum referat exempla. parum quadrent v. g. *si subditi iudicem non audiant*, si per rebellionem scilicet, seditionem & disfidium intestinum sit iustitium, ut addit Gronovius *ad cit. loc. vel etiam index aperte cognitionem rejecerit.* Nam posteriori casu non statim vincula ordinatæ civitatis sunt laxanda, sed res ex capite denegatæ iustitiæ ad superiorem deferenda, Huber. *de Jur. Civit. lib. 3. sect. 2. cap. 1. §. 4.* priori casu seditiosos contra iudicem inferiorem in ordinem reducet imperans, ut bene monet Dn. Henninges *ad Grot. cit. loc.* Differt itaque hic

C

status

(2.) quoad
defectum
inferiorum
iudicum.

Differentia status iustitii a statu naturali, status turbidus, in quo iustitium enatum est, a mere naturali, quod in hoc *per se* cessent iudicia, hic vero *ex*ter *accidenti*, salvo interim imperio civili, adeoque hic inter subditos adhuc quoddam vinculum civile remanet, per quod ab initio in civitatem coaluerunt, vi cuius adhuc sibi invicem adstrictius obstringuntur, cum in statu naturali tantum adsit vinculum, quod natura inter omnes homines constituit, quod propter hominum corruptionem satis laxum est.

Status iustitii plura participat a naturali.

§. 5. Interim non diffiteor, quamvis, iustitio in aliquo loco exorto, non plena inducatur anarchia, & status naturalis, tamen, si effectus iuris nonnullos consideramus, parum talem statum, in quo iudicia cessant, differre a naturali. Potissima enim ratio inter civilem & naturalem statum in eo sita est, quod ibi ob iudiciorum constitutionem nihil manu agendum sit, sed omnia iudicis decisioni committi debeant, in quem finem etiam iudicia sunt introducta. Ast in statu naturali hæc omnia cessant, & quilibet magis ferro, quam iure rem suam repetit, quia deficit iudex. Jam vero tempore iustitii itidem deficit iudex, vt adeoque, quæ in statu naturali licita sunt, hic quoque ob defectum iudicis licita esse videantur. Quod si vrgeas, arbitris potius causam controversam esse committendam, qualia arbitria tempore interregni Germanici plura fuerunt, non diffiteor quidem, hoc optimum factu esse, sed magis ad consilia spectat, nec semper in effectum deduci potest. Quid enim si adversarius arbitrium respuat, si nolit iure æquo contendere, cum ad hoc cogi non possit, quid si nemo adsit, cui tuto causæ decisionem committere valeamus? Si dicis, expectandum esse finem iustitii & nihil interim manu agendum, facile quidem hoc admitto in causis, moram

moram ferentibus, & vbi mox finis iustitii expectandus est. Verum quid, si res moram non patitur? si ita turbida sunt res communes, vt iustitii remissio non tam facile sperari possit, & denique quid si etiam in causis moram ferentibus quis ius sibi ipsi dixit, quaestio principalis eo nunc delabitur: an cessante iustitio propterea puniri possit?

§. 6. Scilicet in statu tranquillo civili illud illicitum esse, & praeterea poena digna coercendum, ratio iudiciorum introductorum suadet. Unde creditor, qui per vim vel autoritate propria rem suam vel debitum suum debitori extorsit, privatione iuris sui punitur. *l. extat. 13. quod met. caus. l. 7. C. de vi publ. l. 10. C. unde vi. l. 4. C. finium regund. nov. 60. cap. 1.* Ast eiusmodi leges poenales semper praesupponunt, facultatem iure agendi non deesse: nam, vt ait Grotius *de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 2. n. 1. lex vetans sine iudice suum consequi, intelligi commode debet, vbi copia est iudicii*: hoc ergo cessante, poenae ordinariae postea locum habere nequeunt. Conf. *Eund. lib. 2. c. 7. §. 2. n. 2.* quod eo magis asserendum, cum etiam dentur casus, vbi via facti, vigentibus iudiciis, non est interdicta, si statim iudex adiri non possit, & interim periculum omittendarum rerum immineat. *Struy. de Vind. Privata c. 6. apb. 9.* Interim quia non plane totus sublatus est status civilis, alia nunc quaestio est: *an non, iudiciis restitutis, postea de ipsa causa, in qua alter tempore iustitii sibi ipsi ius dixit, iudex ad implorationem alterius cognoscere debeat, an alter recte sibi ius dixerit nec ne?* quod merito affirmandum, cum plerumque quis suspectus iudex sit in causa propria. Ex quo apparet, illud quod tempore iustitii eo modo factum est, magis operari impunitatem, quam certum iuris effectum, imo si-
mul

An poenam mereatur, qui tempore iustitii sibi ius dixit

mul & illud evidens est, iustitiam non in totum inducere statum naturalem, cum de interim gestis superfit adhuc cognitio iudicialis, remissio Iustitio, peragenda, quæ in statu naturali plane expectari nequit; sed vel transactione vel victoria lites deciduntur.

*Removetur
dubium,
quod quis
sit suspectus
iudex in
causa pro-
pria.*

§. 7. His equidem valde obstare videtur, quod *sec. l. 10. ff. de iurisd. §. i. c. ne quis in caus. sua indicet*, nemo in causa propria iudicare possit, propter tenerrimum affectum, quo quisque sibi prodesse mavult, quam alteri, & propterea sæpe non attendit in iure alteri tribuendo normam iustitiæ distributiæ, imo homo quilibet proprias tantum sequitur utilitates, atque adeo contra has non admittet regulam iusti, qua ratione forsan inductus Hobbesius, ut crederet, in statu naturali non dari iustum sed huius efficaciam demum expectandam esse in civili statu, ubi dantur iudicia in *Leviath. c. 13. §. c. 15. §. tr. de Cive c. 12. §. 1.* Conf. Adrian. Houtuyn. in *Polit. gener. §. 7. seqq. §. 34.* Hinc Vasquius *lib. 1. Controv. illustr. c. 12. n. 3.* asserere non dubitat, hanc regulam non solum in iure civili, sed & naturali maxime fundatam esse, & Quintilian. *declam. 13.* apposite ad rem ait: *nos ideo magistratus legesq. a maioribus nostris accipimus, ne sui quisque doloris vindex sit: & assidue scelerum causæ se refellunt si vicio crimen imitabitur.* Verum enim vero tantum abest, ut hæc assertio indistincte procedat, quin potius illa manifesto etiam in statu pacifico civili limitanda sit per *tot. tot. Cod. quando liceat unicuique sine iudice se vindicare. l. 3. §. ult. ad L. Cornel. de Sicar. l. 1. Cod. Unde Vi l. 7 §. 3. quod vi aut clam.* Et quis denegabit summo imperanti iudicium in propria causa, si forsan cum aliquo ex subditis ei res sit, cum per se superiorem non habeat, cuius iudicium agnosceret, Pufendorf. *de iure N. & G. lib. 5.*

JUSTITIO JUSTUM EST.

25

c. 17. §. 2. Hillig. *ad Don. l. b. 17. c. 2. lit. B. Brunnem. ad l. 4. C. de LL. & ad l. vn. C. ne quis in caus. sua.* Schrader. *de feudis p. 10. S. 2. n. 64.* Imo quod statum naturalem atinet, tum plane est falsa, & locum maxime habet: *Ubi Index deficit, ibi bellum incipit,* & propria de re sua iudicandi potestas, Dn. Hert. *Diff. de different. iur. in stat. nat. & advent. S. 1. §. 14.* Et quamquam saepe in hoc statu contingere soleat iustitiæ exilium, id tamen non evincit, quod in totum cessare debeat in hoc statu iustum. Ill. Dn. Hert. *cit. l. S. 1. §. 1. 2.*

§. 8. Nec porro nostræ sententiæ adversatur, *Dubium no-* quod ita hoc ius, quod sibi ipsi quis dicit per vim, *ars vni, quod boni & equi iuxta L. 1. ff. de J. & J.* haud sit, quia tum, *inde nemo* potentior vincit infirmiore, & iniustitia ut plurimum *ius conse-* prædominatur, nec etiam corrigi potest secundum *quatur.* regulas iustitiæ, sed is, qui in lucro est, vel titulo qualiscunque possessionis illud retinet, sponte satisfacere recusat, ut tandem alter, qui in damno constitutus, de illo transigere, & multum de jure suo, quod manifestissimum est, remittere teneatur. Quin quod, cum in statu civili, ubi non deest copia iudicis, eiusmodi iniustitiæ documenta inter homines occurrant, ubi quilibet malæ fidei possessor agere & difficulter relinquere, vult possessionem, quid expectandum in statu iustitiæ, ubi iudicia cessant, quod simul experientia firmat ab omnibus seculis. Verum eo ipso, quo in statu iustitiæ viam facti non absolute improbamus, nos non damus potestatem legitimam aut plenum ius, sibi ipsi ius dicendi etiam per vim & iniuriam, nisi pro conservatione vitæ famæ & bonorum iustam defensionem quis suscipiat quam quisque optimo iure suscipere potest. *L. 3. de J. & J.* Sed hoc tantum volumus, quod propterea, iustitio

D

litio remisso, nemo incidat in pœnam privata vindictæ, quæ regulariter concessa non est, atque adeo carenus quendam effectum externum iuris inter homines videtur habere, dum hic processus violentus non potest plane pro nullo haberi, vel præsens, qui sibi per vim ius dixit, puniri. Maiorem vero effectum habet iudicialis sententia, quæ ius verum irrevocabile & perfectissimum inter partes facit ob concurrentem publicam, ex quo promanavit, autoritatem, quæ in privata vindicta cessat.

*An valeat
transactio
tempore iu-
stitiæ inter-
posita.*

§. 9. Quibus positis, cum sæpe contingere possit, vt tempore iustitiæ inter partes controuertentes tandem res per transactionem quandam componatur, vbi plerumque pars infirmior metu potentia vel violentia præsentis cedere potentiori debet, paucis hic nunc videndum, quid de tali transactione eiusque validitate iudicandum sit? Ponamus enim, infirmiozem possidentem quotidie inquietari ab aduersario potentiori, imo reuera hunc illi vim inferre maiorem, cui resistere non possit, iura interim vtrinque dubia esse, nec possessorem se aliter a præsentē & instante periculo liberare posse, quam vt cum altero transactionem, quam vrget, ineat, qua inuita, maximam partem de re litigiosa alteri tradere debeat. Hisce sub circumstantiis quæstio nunc oritur, *an remisso iustitio contra transactionem talem ab eo, qui antea rem controversam possederat, possit peti rescisso ex capite quod metus causa?* Equidem, si extra iustitium causam consideramus in statu Reipubl. pacifico, non dubium, quin transactio vires non habeat, sed rescindi possit *l. 2. §. 8. ff. de Calumniat. t. 1. ff. quod met. causa.* Ast, posito iustitio, alia videtur decisio facienda; aut enim vis fuit iniusta, aut secus. Posterius si dicimus, res clara est, quia tunc cessat restitutio; si prius

prius, aliud dicendum quidem, sed iam antea monitum, absolute in statu iustitii vim non esse iniustam, vel saltem impunitam, adeoque effectus iuris civilis, qui vim in statu civili pacifico sequuntur, hic cessare; ex quo concludo, remissio iustitio, non posse dari locum restitutioni in integrum ex capite quod metus causa, si modo, quod supposui, causa utrinque dubia tempore transactionis fuerit. Si enim illa, in quibus quis sibi ipsi eo tempore ius dixit, cessante iustitio, non revocantur, nisi iure omni destitutus postea appareat, quanto magis illud dicendum est in casu transactionis, cujus causa adhuc magis favorabilis est, neque enim facile permittendum, ut quæ semel sopita sunt, de novo resuscitentur. l. 33. C. de transact.

§. 10. Ceterum illa, quæ hæcenus dicta sunt, *An etiam* etiam tunc obtinere putat Grotius de J. B. & P. l. 2. c. 7. *quis sibi ipsi* §. 2. n. 2. in casu, si ius quidem certum sit, sed simul moraliter certum, per iudicem iuris explementum obtineri non posse, puta quia deficiat probatio. In hac enim circumstantia asserit, etiam cessare legem de iudiciis, & ad ius rediri pristinum, quod scilicet fuit ante constitutas ciuitates. Quæ si vera sunt, obtinebit aliquando effectus iustitii, ubi nullum est iustitium. Verum quomodo hæc inter se cohæreant, non satis deprehendo, neque enim hic cessant iudicia, imo sufficit, quod non cesset ratio, propter quam iudicia sunt introducta, & non posset non turbis & contentionibus gravioribus dari occasio, si hæc in usum deducerentur, quin quod cum de eius iure non constet, nunquam satis secure suo possit frui iure. Quod si enim sibi per vim ius diceret, alteri semper parata forent remedia iuris ordinaria ad consequendum illud, quod ab altero vio-

post ius dicere si de administratione iustitie desereret.

lenter occupatum est; quin pœnam legibus civilibus constitutam haud effugeret. Habebit ergo hic locum quod dicitur in *l. 30. ff. de testam. tut. tibi non deficit ius sed probatio*. Neque a statu iustitii hic tuto ad hunc casum concludi potest, ob diversam plane rationem vtriusque status, quæ etiam diversam decisionem postulat. Optime hoc declarat Ill. Dn. Hertius *diff. de different. iuris in statu natural. & advent. sect. 2. §. 14.* inquit: *Et sane nunquam moraliter certum videtur, per iudicem ius obtineri non posse, nisi prius res in iudicium ducatur, & de sufficientia probationis cognoscatur*. Porro, si auctore non probante, reus iuste absolvatur, quomodo contra iuste absolutum auctor sibi ius dicere iuste poterit, ita ut non aut de vi aut de furto teneatur: Ad hæc sunt alia probationes, si non per testes & instrumenta, certe per iusiurandum quod vel litigans litiganti, vel etiam iudex interdum defert: sunt & alia componenda litis remedia. Quæ omnia si frustra fuerint, satius erit Deo rem committere, quam pœnam violentiæ aut furti in foro externo mereri.

*Quid iuris
in causis in
lite iam
pendentibus,
in causis in
lite penditibus
& iustitio
interveniente
superveniente
iustitio*

§. II. Et quidem quod hæcenus de via facti dictum est, verum esse satis apparet in causis tempore iustitii noviter emergentibus. Ast maior difficultatis ratio est in causis in lite penditibus & iustitio interveniente suspensis, ubi adhuc causa dubia est, an & quatenus quis sibi impune per vim ius dicere possit, qui probabilem se habere causam putat, ut nullum committat spoliolum. Ratio diversitatis videtur subesse, quod causa liti semel commissæ, ergo a iudicio quoque expectanda decisiõ, quæ per iustitium superveniens non plane in totum interversa, sed tantum suspensa est, propterea quoque æquum esse videtur, ut is, qui in possessione est, tamdiu frui debeat commodis possessionis, donec de iure constiterit

stiterit, atque adeo si tempore iustitii alter violenter occupavit possessionem litigiosam, possessoremque deiecit, cessante eo, omnia sunt restituenda in statum pristinum, & causa de novo peragenda seu potius continuanda: Semel enim ante iustitium, h. e. instituta, possessor quasi tacite tamdiu in possessione firmatus est, donec alter ius suum ostenderit. Neque obstat, quod in hoc quoque casu vis impunita esse debeat, nam licet hoc admittam, ne possit suo privari iure, alia tamen quaestio est, quid iustitio remisso statuendum, ubi iam processus ante iustitium inchoatus, & per iustitium suspensus, continuandus est, annon sic reus prioribus debeat frui prerogativis, an vero is, qui antea reus erat, iam suscipere teneatur partes actoris, et ita novum instituire processum, id quod durum videtur.

§. 12. Non tamen ei, qui vices actoris sustinet, hoc quoque casu omne denegamus auxilium, quin potius ipsi concedimus durante iustitio idonea remedia, quibus securitatem iuris sui defendere & munire potest, ne alioquin interim dolo adversarii frustretur, & remisso iustitio, inanem actionem expectare necessum habeat. Cum enim, vigentibus iudiciis, quilibet ad suam securitatem adhuc plura remedia adhibere possit, ubi non tantum subest periculum amittendi iuris; quanto magis talia remedia admittenda erunt tempore iustitii, ubi maius periculum & multo plures occasiones, alteri ius suum intervertendi. Quid enim si debitor iam sit in fuga comprehensus? Hoc casu etiam in statu civili, iudiciis non cessantibus in totum, non interdictum est debitori pecuniam auferre, quanta ad debitum solvendum sufficit, *L. 10. §. 16. quæ in fraud. creditor.* Rationem huius viæ facti collocant Dd. in eo, quod credi-

Quomodo actor interrim sibi proponere potest, si reus suscipitur redatur de delapidatione vel fuga

tori haud integrum sit adire iudicem, & sic videantur iudicia cessare momentanee Cuiac. *lib. 16. Obser. 19.* Petr. Peck. *de iure sistendi c. 2. n. 1. seqq.* Quid si tantum suspectus sit de fuga? tum etiam eundem capere licere, putat quidem *gl. in l. 1. C. de pign. & Hyppol. Marfil. singul. 41.* quod tamen in statu iudiciorum vigentium non absolute admittendum esse iudicat Struv. *de vindict. privat. c. 6. aph. 9. n. 3.* cum adhuc iudex adiri possit, quæ ratio cum cesset tempore iustitii, aliud dicendum videtur. Quid si cautionem præstare non possit? tam eius personam quam bona prævia causæ cognitione arrestari posse certissimi iuris est. Multo magis ergo tempore iustitii his in casibus quoque privata autoritate apprehendi potest, cum ita cesset iudex continue, nec ita incarcerans incidit in crimen læsæ Maiestatis, quod alias committit, qui privatos carceres exercere non veretur *l. 1. C. de priv. carcer.* Quid denique si dilapidare rem, quam alter hæctenus in iudicio petiit, durante iustitio incipiat? Sicuti hoc casu a iudice illa sequestrari, ita quoque tempore iustitii quilibet sibi securitatem, quacunque ratione quærere potest. Leges etenim generaliter vim prohibentes semper limitandæ sunt ex præsumta legislatoris voluntate in speciali deficientis iudicis casu vel si necessitatis ratio aut utilitas publica aliud suadeat.

*An præscri-
tio currat
tempore ius-
titii.*

§ 13. Quid si vero is, qui actionem adversus alterum efficacem haberet, interim quieverit, id quod etiam humanius est, & ius sibi ipsi non dixerit, vel etiam dicere non potuerit, certè præscriptionis pœna non invenit locum, quia nihil est, quod ei imputari potest, qui ius suum commode persequi non potuit. Neque enim ei obiici potest, quod sibi vigilare, & quovismodo

do ius sibi dicere debuisset, cum ad hoc non adstringatur, & humanius agat, si illo iure, quod tantum impunitatem præstat, veram autem & legitimam facultatem non tribuit, absteineat. Neque admitto argumentum a statu naturali, quod in eo etiam præscriptio locum invenire possit, iustitium autem parum a statu naturali absit, ut supra dictum. Nam quamvis non tam audax sim, ut ex hypothese Gallorum, qui sub hoc prætextu Monarchæ suo cumulum prætensionum augere vnice contendunt, omnem inter gentes præscriptionem negare velim, satis quippe edoctus, quantum hæc hypothese a primis iuris Naturæ principiis aberret, quod contra Petrum Puteanum, Regi Galliæ quondam a consiliis & Bibliothecis, solide ostendit Dn. Jo. Werlhoff. *diff. de Præscript. inter gentes liberas*: Interim tamen diversitatis ratio evidens hic subest, cum inter gentes in totum deficient iudicia, durante vero iustitio ad tempus saltem, spes tamen superest, fore ut iudicia restaurentur, quibus iure agi licebit. Atque huc spectat decisum pontificis in *c. ex transmissa 10. X. de Præscript.* ubi in fine ait: *Propter hoc d. v. per A. f. m. si quod asseritur, non veritis veritate esse subnixum, prædictas decimas, & oblationes cum aliis obventionibus matrici Ecclesiæ memorate ap. rem. PRÆSCRIPTIONE HOSTILITATIS TEMPORE NON CURRENTE, restitui faciatis, & præfatos clericos de cetero ab eorum perceptione Ecc. cens. compefcatis.* Confirmatur idem clarissime ex *c. Prima. 13. C. 16. Q. 3.* ubi inter alia hæc deprehenduntur: *non enim erit obvienda præscriptio temporis, ubi necessitas interest hostilitatis.* Eandem æquitatem secutus est Valentinianus in *novella lege de episcopati iudicio*, cuius verba adducit Grotius de *J. B. & P. lib. 3. c. 9. §. 13. in not.*

An sola ho-
stilitas sufficiat
prescripti-
onem an ve-
ro propterea
requiratur
iustitium.

§. 14. An vero hic sufficiat sola hostilitas vel belli status, vt interim dormiat præscriptio, an vero præterea iustitium, quod præcisè Hahnus *ad W. tit. de Usuc. cum aliis contendit*, requiratur, quæritur. Plures hic distinguunt inter ius Civile & Canonicum, ita vt secundum hoc sufficiat vel sola hostilitas propter allegatos textus, secus ac iure civili, vbi quidem in impedimentis *iuris* non currit præscriptio, bene tamen in *facti*, salva restitutione in integrum. Mela *in cap. 5. de concession. præbend. Panormit. in c. 10. X. de Usucap. §. 26.* Hoc tamen haud admittit Gonzalez *ad c. cit. 10. n. 6.* sed putat etiam tunc impedimentum facti obesse præscriptioni, nec currat, si impedimentum sit notorium, quale est hostilitas vel bellum. Alii aliter rem explicant.

Dubia con-
tra vulga-
tas senten-
tias.

§. 15. Verum quamcunque elegeris sententiam, difficultates tamen & dubia plura adhuc superesse videntur. Si differentiam inter ius Civile & Canonicum in hoc passu agnoscimus, illa liquida & aperta esse debet, qualis tamen hic haud deprehenditur, nihil enim in textibus allegatis determinatur, vtrum iustitium tempore hostilitatis fuerit nec ne, & sic commodam hæc generalis decisio recipere potest interpretationem & restringi ad tempus iustitii. Si de iure Civili distinguas ex sententia communi inter impedimenta facti & iuris, subsunt itidem obstacula, quæ hanc distinctionem evertere videntur. Nam in *l. 26. §. 2. ff. ex quib. caus. maior. adest impedimentum iuris & tamen vsucapionis cursus haud sisti dicitur*, quin contra lapsum temporis datur restitutio. Et contra in *l. 1. ff. de divers. tempor. præscr. iunct. l. 25. ff. de stipul. serv. occurrunt impedimenta facti, & præscriptio plane non currere dicitur.* Neque denique Gonzalezii sententia litem componere potest.

Constat

Constat enim *ext. t. ff. ex quib. caus. maiores.* contra notorie absentes, & aliter iustissime impeditos currere vsucapionem & locum esse restitutioni in integrum. Imo, qui notorie in hostium potestate est, vsucapionis periculū subire debet *l. 15. §. f. l. seq. ex quib. caus. maior. l. 18. C. de postl. revers. l. 24. C. d. R. V. l. 1. 2. 4. 6. f. C. quib. non obit. long. temp. pr.*

§. 16. Visis itaque his difficultatibus, tentabo, an non ex natura vsucapionis & praescriptionis diverſa rem decidere commode possim. Quod vsucapionem concernit, leges euidenter demonstrant, causam & fundamentum eius non tam primario quaerendum esse in odio & poena eius, qui intra illud tempus non egit, sed potius tum *in favore utilitatis publicae*, tum eius, qui *bona fide & iusto titulo per tempus idoneum rem detinuit*. Priorem satis prodit JCtus *in l. 1. ff. de vsuc. & l. 5. ff. pro suo* ubi haec additur ratio; *ut aliquis finis litium esset*, quod & repetitur *in l. 2. pr. ff. de aqu. & aqua pluvia arc.* quo sensu etiam Cicero *Orat. pro Caccinna* vsucapionem vocat *finem sollicitudinum*. Altera fundatur in *bona fide*, h. e. iusta opinione, qua quis iuste credidit rem ad se pertinere. Huic itaque leges merito fauere debuerunt in hac quoque materia, sicuti in aliis etiam materiis singulariter eidem fauent. Dn. Hertius *diff. de matrim. putativo*. Ill. Dn. Stryk. *diff. de iure putativo*. conf. Gratianus *ad c. 15. c. 16. Q. 3.* Et hinc recte Dd. concludunt, quod ob utramque rationem contra vsucapionem completam ne quidem ex capite iustae ignorantiae detur restitutio in integrum per *l. f. & avth. mala fidei C. de Praescript. long. temp.* Struv. *ex. 8. th. 76.* Hahn. *ad W. tit. ex quib. caus. mai. num. 10.* Fachin. *l. b. 1. controu. c. 69.* Ill. Dn. Stryk. *in V. M. tit. ex quib. caus. mai. §. f.* nisi dolus alterius concurrat *l. 1. §. f. ff. quod fals. tutor.* vel alia iustissima ratio *l. 15. §. 5. ff. quod vi aut clam.* Sic itaque de stricto iure

Additur
questionis
deciso.

E

tum

De iure ff. indistincte currit præscriptio contra impedirum. tum ob publicum bonum, tum ob favorem bonæ fidei de iure Digestorum etiam contra quomodocunque impeditum currere debuit vsucapio, licet vel maxime, subesset impedimentum iuris, vti clarissime apparet ex l. 26. §. 2. ff. *ex quib. caus. maior.* quia ibi etiam restitutio indulgetur iis, qui agere *per legem seu more maiorum* non potuerunt, quo ipso supponitur, vsucapionem interim non dormiisse. Quid quod & tunc vsucapio currat, si magistratus copia defuit, indicto forsan iustitio *cit. l. 26. §. 4.* vbi itidem impedimentum iuris subesse nemo negabit. Et tandem clarissime hoc patet ex *cit. l. 26. §. 7.* vbi vsucapionem currere asserit Jctus, *si ferie extra ordinem sint indictæ, ob res puta prospere gestas vel in honorem principis & propterea magistratus ius non dixerit:* ut adeoque ne quidem tempore iustitii indicti apud Romanos quieuerit cursus vsucapionis, sicuti nec tempore publicarum feriarum; Interim tamen quia iniquum videbatur, hisce sub circumstantiis eum, qui agere non potuit, ius suum amittere, inuentum est a Pratore extraordinarium remedium restitutionis in integrum.

Præscriptio de iure ff. non curribat impedire. §. 17. At præscriptionis est diversa natura & ratio. Hæc enim non operatur de iure ff. *dominium sed exceptionem seu exclusionem actionis intentatæ*, cum præscriptio generali sensu denotet exceptiones quascunque vid. Dn. Præl. *in introd. ad ff. tit. de except. §. 2. seqq.* non autem visum fuit, alii hanc exceptionem esse tribuendam, quam qui agere potuisset, seu in potestate sua habuisset, quando suo iure vteretur *l. 5. §. 6. ff. de except. dol. & quod met. caus.* atque hinc est, quod pleræque actiones, quibus exceptio præscriptionis opponi potest, sint respectu initii *utiles*, h. e. præscriptio non inci-

JUSTITIO JUSTUM EST.

35

incipiat currere nisi iis, qui experiundi potestatem habuere. Imo ob hanc causam Jctus in *l. 1. ff. de divers. & tempor. præscr.* recenset casus, quibus experiundi potestas haud adest, ut ostendat, legitime impedito non ita currere præscriptionem, sicuti vsucapio currit, quo etiam refert, si copia Pratoris haberi non potuit. Et hoc quoque liquidissime apparet ex *l. 25. ff. de stipul. servor.* ubi dicitur, quod demum dies stipulationis cedat, ex quo agi potuit, seu impedimento cessante & sic interim haud currit præscriptio. Neque contrarium evinci potest ex *l. si servus 4. ff. de divers. et temp. præscr.* Contextus enim docet, hic satisfactionem esse acceptam in certum tempus, v. c. fideiussit Titius ad duos menses, intra quos securitatem promisit, Mevius, in cuius favorem fideiussores accepti, interim agere non potuit, quæstio fuit, an non statim horum duorum mensium, seu satisfactionis dies cedat? quod affirmat Jctus, addita ratione: *alioquin erit iniquissimum, ex conditione actorum obligationes reorum extendi,* (qui se tantum obstrinxerant ad certum tempus) *per quos nihil factum erit, quo minus (intra tempus præstitutum) cum his agi possit.* Neque enim casus fortuitus alteri imputari potest, aut fideiussorum obligatio augeri, cum tamen certum tempus in obligatione comprehensum erat. conf. Cuiac. *lib. 16. Obs. 38.* Anton. Faber, *4. coniect. 16.*

§. 18. Quamvis autem præscriptio longissimi temporis cum vsucapione iure C. confusa fuerit *l. vn. C. de vsuc. Cod. hic transform.* interim tamen retinuit vsucapio strictè dicta *mutatam.* suos effectus contra impeditos, ceu patet ex *t. t. C. quib. non obicit. long. temp. præscr.* nisi quod minoribus hic aliquid indultum *l. s. C. in quib. caus. in integrum rest. nec. non est,* & dotis causæ specialiter aliquid datum, quæ alias

E 2

favo-

favorabilis *l. 30. C. de iur. dot.* Præscriptio vero temporis longissimi in quibus casibus obtinere cœpit, hoc retinuit ex primæua sua indole, vt non antea currere inciperet, nisi experiundi facultas esset. Sic filius vindicare potest bona aduentitia a patre alienata intra 30. annos *l. 4. inf. C. de bon. qua. lib. N. 22. c. 24.* non incipit tamen currere præscriptio hæc, nisi postquam sui iuris factus est filius *cit. l. 4. l. 1. C. cum subiect. aut. de bon. matern. l. 1. §. 2. C. de annal. except.* Idem apparet ex aliis præscriptionibus, quæ stipulationibus vel contractibus opponuntur *l. 7. §. 4. C. de præscript. 30. vel 40. annor. l. 30. C. de iur. dot.* Quo posito nihil noui videtur constitutum in *c. 10. X. de Præscript.*, quia tempore hostilitatis, siue iustitium adsit, siue non, non semper adest experiundi copia iuxta *l. 1. ff. de diuers. & temp. præscr.* adeoq; contra ecclesiam præscriptio 40. annorum currere non potest. Facile quoque exinde declarari potest textus *in R. I. de anno 1654. §. 172*, vbi asseritur, quod tempore tricennalis belli cursus præscriptionis 30. annorum sisti debeat, und hierwieder keine Præscription oder Verjährung wegen der bey währenden Krieg unterlassenen Forderung der Zinsen oder Capital angezogen werden/ oder gelten. *conf. Carpz. p. 2. Decis. 116.* neque hoc restringendum saltem ad tempus iustitii, vti quidam volunt, sed in genere sufficit tempus illius belli tricennalis *Dn. Textor ad R. I. cit. disp. 14. hb. 44. Mev. 4. Dec. 311. n. 3.* atq; adeo ab anno 1618. usq; ad annum 1648. præscriptio dormire debuit. Idem nunc porro applicari potest ad tempus pestis dirisissima *Carpz. cit. l. 1. Illustr. Dn. Stryk. de act. forens. inuest. §. 3. m. 1. ax. 2. n. 27.*

Leges, iudicialiter a liquid per-

§. 19. Ceterum an leges positivæ plane frigeant & vim suam amittant in statu ciuili, durante iustitio, nunc vlte-

ulterius disquirendum est? quod decidendum erit, ^{se-} agendum, cundum distinctionem allatam *cap. 2. §. 3.* ita, ut si ^{esse statuen-} imperans tanquam fons omnis jurisdictionis ^{res tempore} cesset, cesset etiam vigor legum & status naturalis redeat, ^{iustitii ces-} cuius hæc natura & ratio est, quod deficiant leges positivæ. ^{sant.}

Sin vero adsit, qui imperii habenas moderatur, & *judicia inferiora* tantum clausa sunt, licet non plena introducta sit anarchia, laxiorem tamen tunc leges præscriptæ merito habent potestatem & interpretationem, Sed hoc potissimum intelligendum de Legibus, ad *negotia iudicialia* pertinentibus, in his enim ex necessitate Leges cessant & ipsa negotia valere utiq; debent, quoniam privatis nihil imputari potest, quod legibus morem non gesserint, quippe qui non potuerunt, etsi vel maxime voluissent, v. c. si statutum esset, quod pignus non aliter securitatem tribuere nec dominium resignari & transferri deberet, nisi utrumq; iudiciali confirmatione roboratum esset. Idem iudicium esto de adoptione, quæ non legitime facta censetur, nisi accedat autoritas magistratus, donatione absq; insinuatione facta aliisq; actibus voluntariæ Jurisdictionis.

§. 29. His itaq; suppositis merito subsistere debent, *Exemplis* quæ alias absq; iudiciali confirmatione subsistere non ^{hoc decla-} possent. Huc pertinet, si transigendum de alimentis, ^{ratur.} testamento relicto, ubi alias Prætoris autoritas necessaria est. *l. 8. ff. de transact. it. de delictis publicis* pœnam sanguinis non inferentibus. *l. 18. C. de transact.* Si alienanda pupilli bona immobilia, *t. t. ff. de reb. min sine decr. non al. si tutori solvendum. §. Ult. f. quib. al. licet. vel non.* Si ultra quingentos solidos donatio facienda: *§. 2. l. de donat.* & quæ alias ex statuto iudicialiter & cum decreto fieri debebant. Quinimo tunc non solum autoritas iudicia-

lis remissa, sed etiam vis propria ad securitatem suam cuius permissa censetur. Quid enim si debitor creditori sua bona obligavit sub clausula pacti de ingrediendo, *nist oder ohne Recht sich daraus bezahlt zu machen?* hoc casu sane si postea resistat debitor, vel violenta manu ipsum de sua possessione dejicere potest, cum alias iudiciis vergentibus hoc pactum contra resistantem nihil operetur. Quid si sententia lata in rem iudicatam transferit, & paulo post, iustitio interueniente, missio in possessionem rei iudicatæ exequendæ causa a iudice fieri non possit? debitor sibi ipsi quouis modo prospicere potest. De similibus simile esto iudicium.

An etiam leges cessent negotiis? §. 21. Nunc videndum, an etiam Leges *in extrajudicialibus* attendantur. Quid si testamentum fiat tempore iustitii an illud pro valido reputandum sit, remisso iustitio, si desint solennia? Tempore pestis res satis nota est, quod testamenti factio ibi non præcise debeat esse actus continuus, sive adsit iustitium nec ne. III. Dn. Stryk. *Caut. testam. cap. 11.* Verum cum hic ratio peculiaris adsit maximorum periculorum, quibus homines expositi convenire non solent, aliud dicendum videtur de testamento extra pestis tempus durante iustitio propter diversam rationem. Si vero respublica publicis tumultibus & factionibus turbata & summo moderatore destituta sit, ut plena anarchia vigeat, testamentum etiam quocumque modo conditum subsistere dicendum est. Tempore belli autem, ubi inferiora tantum iudicia cessant, maior ratio dubitandi, quia leges adhuc observari possunt in iis, quæ non requirunt copiam iudicis. Regulariter enim tempore iustitii tantum illæ LL. cessant, quæ iudicis copiam requirunt, & licet vel maxime deficiat, qui etiam ceteras exequatur, tamen potest hic defectus mox cessare atque ex postfacto secundum leges iudicari, nisi forsitan subditi omni momento in periculo bellico constituti sint L. *fin. ff. de testam. militar. l. vn. ff. de B. P. ex testam. mil.*

An delicta tempore iustitii perpetrata sine impunita. §. 22. Discussa causa civili nunc etiam de criminali videbimus, ubi potissimum quaeritur, an delicta, quæ sunt perpetrata tempore iustitii perpetrata sine impunita, possint puniri remisso iustitio? dubitandi ratio est, quod deficiente iudice, qui inquirere possit in crimina, deficiat etiam vigor legum & executio: sed propterea omnia facta debere esse impunita & quoduis delictum licitum, non firma inferitur ratione. Quid quod in tali

tali statu depraedationes, latrocinia & varia scelera soleant esse frequentia, quæ adhuc magis frequentarentur, si illa impunita essent, & deniq; cum supra iam supposuimus, defectum iudiciorum inferiorum non plenum inducere statum naturalem, sed cives adhuc vinculo quodam quoad obsequium imperanti debitum coherere, sine dubio quoq; inde concludendum, tempore iustitii tantum suspendi inquisitionem, neutiquam vero in totum deficere.

§. 22. Ex suppositis §. 19. & 20. porro sequitur, quod si vxor adulterium committat, possit maritus cum ea diuortium facere *propria autoritate*, quia deficit Consistorium. Graviter quidem obstare videtur, quod ita maritus leuissima ex causa vinculum illud, quod indissolubile Deus voluit, dirimere possit. Verum enim vero aut tum maritus legitimam a matrimonio recedendi causam habuit, & res bene se habet, aut alterutra persona probare ex post facto remisso iustitio potest, sibi iniuriam esse factam, & tum desuper causæ cognitione instituta partes ad matrimonium redire tenentur. Sed hæc sufficientiam de conclusionibus specialibus, quas omnes referre non necessarium videtur, cum fontes harū, ex quibus diiudicandæ sunt, satis sunt excussi.

An tempore iustitii possit maritus propria autoritate diuortium facere.

§. 23. Redeundum nunc est ad casum alterum *JUSTITII PARTICULARIS*, vbi certum tantum iudicium clausum est, alia autem in tali loco vigent, vbi (1) quaeritur *an iudices salarium suum tempore iustitii petere possint?* quod merito affirmandum. Præsertim quoad illum annum, in quo iudicium clausum, quia etiam heredibus integra salaria debentur, si intra annum iudices mortui fuerint, id quod etiam de advocatis, publico salario gaudentibus, dicendum *l. post duos 15. §. 1. C. de advoc. diu. iudicior.* Quoad reliquos annos, intra quos stat iustitium, idem dicendum esse arbitror, præsertim cum per iudices haud ster, quod suppono, quominus officium suum faciant, vti in casu non ab simili argumentatur ICrus in *l. 19. §. pen. & vlt. ff. loc.* Quod si forsitan per iudicis ipsius factum & culpam iustitium ortum sit, tunc cessat ratio & sic quoq; decisio, in ceteris vero, vt advocatis, quibus annua salaria promissa, prior decisio obtinebit *l. 38. §. 1 ff. locat.*

An in iustitio particulari salarii iudicium debeat & advocatis?

§. 24. Potest quoq; in deuolutione appellationis hic quadam contingere diuersitas, præsertim si iudicium intermedium sit clausum. Alias quidem iuris est, quod appellatio non per saltum, sed gradatim fieri debeat *h. c. ad iudicem immediate superiorem nullo iudice interme- possit.*


An per saltum in hoc statu appellatio fieri possit.

40 CAP. II. DE EO QUOD DUR. JUSTITIO JUST. EST.

termedio omisso *c. dilecti c. X. de appell. l. 21. pr. §. 1. ff. de appe'l. Gail. 1. O. 119. n. 2. Carpz. in process. tit. 3. art. 1. n. 38.* Sed sicuti cum iudex intermedius denegat iustitiam, statim appellans confugere potest ad superiorem *Carpz. cit. l. n. 43. Gail. cit. l.* quia sic cessare videtur iudicium, ita multo magis hoc dicendum, si iustitium quoad intermedium iudicem adsit, cum ita ordo a lege praescriptus observari non possit. Idem quoque iudicium formandum de prima instantia, quae ob iustitium indutum cessare debet.

Quid dicendum, si dum erat, sit sumtum vel indictum tunc quidem hoc certum est, factum in supremo tale interponende appellationis currere, cum etiam in inferiori iudicio in- cicio vel coram Notario & testibus appellatio interponi possit, ad effectum in- etum, ut sententia a viribus rei iudicatae suspendatur, sed quoad factum introductum. le introducende appellationis aliud dicendum, quod interim ex supra adductis principiis currere non potest ei, qui non potuit eandem intro- ducere, nisi forsan ab imperante interim loco supremi iudicii, quod clausum, aliud iudicium delegatum sit, sic enim in hoc idem obtinebit, quod in iudicio supremo non clauso.

An duran- te iustitio §. 26. Quodsi haec iam ad praesens Camerae iustitium applicem, quastio potissimum in eo versatur, verum Dominus territorii, eo du- Camerali rante, possit causas suorum subditorum ad id devolutas, vel ibi intro- dominus ducendas, ad forum suum trahere, vel, ut per delegatum aliquod iu- territorii ducendum decidantur, interim disponere? Equidem alias certum est, iu- causas ibi ducendum Camerale torum representare imperium R. I. de anno 1654. §. devolutas 165. & sic non dependere ex dispositione vnus vel alterius ex statibus suorum sub imperii, vid. Londorp. tom. 1. lib. 1. c. 7. n. 3. §. aus welcher. & conse- ditorum ad quenter nec Imperatorem nec alium quemlibet causas ibi vel iam in- forum suu troductas auocare, vel introducendas impedire posse. Verum haec om- delegatum nia tunc satis certa sunt, si vigor huius adsit, ut iustitia possit ad- interire ministrari; ast ubi iustitium sumtum vel indictum est, haec limitanda trahere pos- esse videntur. Potissima enim cura Domini territorii in hoc consistit, imo & territorii sui peculiaris inde dependet utilitas, ut suum cuique quam citissime tribuatur, & lites inter subditos pendentes maturum & tempestivum consequantur exitum. Neque enim subditis illud in damnum vergere debet, quod publice factum, & aliorum culpa contractum est; neque dominus terri- orii contra publicas facit leges, qui iustitia administratio em quoad proprios subditos promovere allaborat, praesertim cum leges publicae, quae avocationem causa- rum prohibent, supponant casum iudicis vigentis, quaeque adeo applicari neque- unt, si iustitium adsit, neque facile finis eiusdem possit sperari.



ULB Halle

003 890 414


3



sb.







B.I.G.

Farbkarte #13

1705 76 daniel 76

DISSERTATIO JURIS PUBLICI UNIVERSALIS
De
EO QVOD JUSTUM EST
DURANTE ³³
JUSTITIO,

(17)

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. FRIDERICO WIL-
HELMO,

REGNI BORUSSICI, ELECTORATUS BRANDEN-
BURGICI ET PROVINCIARUM HEREDE,
& reliqua,

IN ILLUSTRIS ACADEMIA FRIDERICIANA,
PRAESIDE

JUSTO HENNINGO *Böhmer*
J. U. D. Prof. Iur. extraordin. Facultat.
Iurid. A.

43

IN AUDITORIO MAJORI
publico eruditorum fuffit examini
Ad d. Maji An. MDCCV.

CASPARUS a WOLDE,
Eques Pomeranus.

HALÆ, Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI. Acad. Typogr.

1705
20.

